



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Argumenta Maßiliensium contra Augustinum. c. 17.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

extius potestate sit, facere efficacem vocationem, disp. 98. cap. 6. & 8. dicemus.

Secunda obiectio, si Deus gratiam suam distribuit non expectata voluntate nostra sequitur, Deum uti iure dominantis, & quasi tyranni qui prout libet gratiam diuidit, non autem uti ordine regentis, qui iuxta cuiusvis dispositionem dona distribuit. Hac ratione in August. inuehitur Faustus Regien, lib. 2. de gratia & libero arbit. cap. 6. cuius verba recitavi supra disput. 82. ca. 1. ex quo etiam inferebat ille omnino auferri futuri causam iudicii, atque ita homines nasci iam iudicatos, non iudicandos.

Verum hæc obiectio friuola est. In primis enim nulla acceptio personarum, nulla tyrannis Deo imputari potest, quod vnum vocet ea cogitatione, quæ congrua est, & efficax futura, alium vero ea solum, quæ sufficit, ut respondeat, si velit; tametsi responsurus non sit. Nam cum hæc cogitationum donatio non sit debita hominibus creationis, sed sit nota gratia, & liberalitas supra donum liberi arbitrij & creationis, ut cap. 14. probatum est, fit, ut Deus non accipiat personam, cum vni potius, quam alteri prout libet vocationem suam congruam largitur, quia acceptio personarum in distributione solum, quæ ex iustitia debetur, reperitur. Quocirca in hac gratiæ distributione recte dici potest illud. *Voluntati eius quis resistit? O homo tu quis es, qui respondeas Deo?* &c. ut explicatum à nobis est supra ca. 13. Fit etiam ex dictis, ut homines non nascantur iudicati, hoc est, absque villo suo merito iudicium non subeant (hoc enim est, apud Faustum nasci iudicatum) sed nascantur iudicandi hoc est, ex suis operibus, quæ faciendi sunt præmium, aut supplicium recepturi. Neque enim homo à Deo iudicabitur, quod habuerit potius hanc, quam illam vocationem, sed quod vocationi, quam habuit, noluerit respondere, cum posset; omnes enim sufficiens auxilio, & vocatione excitari, nec aliquem in illa periodo vitæ delinui, ut quævis peccata vitare possit, & ad hoc libertatem in singulis manere, disput. 97. ostendimus. Falsum igitur est ex sententia August. illud inferri, quod Faustus contendebat, tolli nimirum omnino futuri causam iudicii.

Tertio arguebant Massilienses, ut est apud Hilariū, & Prosperum in epistolis, quæ habentur ante libros de prædest. Sanct. hoc modo, Si vera est sententia Augustini quæ dicit, gratiam illam peculiarem prædestinatorum ex sola voluntate Dei donari, frustra sit oratio; siquidem humana oratione gratia obtineri nequit; ac proinde omnis spes adimitur gratiam impetrandi; frustra etiam homines corripuntur aut eos exhortamur, si gratia, & prædestinatio ex eorum non pendet arbitrio.

Respondeo, primum quidem vnum pro alio non frustra orare, & postulare primam gratiam, quam quidem aliquando vnus alteri impetrat, ut disput. 94. dicemus, & ita sicut merita vnus sunt causa primæ gratiæ, quæ in tempore alteri datur, ita etiam sunt causa prædestinandi illam ab æterno. Ceterum oratio illius, qui gratiam alteri obtinet, non nascitur ex solo libero arbitrio, sed ex auxilio gratiæ.

Deinde nullus sibi oratione aliqua obtinere potest primam omnium gratiam; nam oratio est, *Vaquez in 2. part. Tomus I.*

iam, quæ gratiam postulamus, ex auxilio gratiæ procedit: quocirca nulla oratio preuenit primam omnium gratiam. Ideo definitur in Concilio Arausico. 2. can. 3. oratione humana gratiam Dei non obtineri: intelligit primam; nam secunda gratia, licet non humana oratione, hoc est, ex proprijs viribus, oratione tamen ex spiritu gratiæ obtinetur, & can. 6. damnatur, qui dixerit, gratiam Dei scilicet primam, dari orantibus sine spiritu gratiæ: sicut dicebant Massilienses. Probat autem Concilium ex illo. *Inuentus sum à non querentibus me, palam apparui ijs qui me non interrogabant, &c. ex illo. Quid habes, quod non accepisti?* *Isa 65. Ad Rom. 10. 1. ad Cor. 4.*

Probat etiam egregie ex ca. 28 Iob, ubi cum ostendisset multa, quæ in pretio sunt apud homines, licet difficilia, sollicitudine humana inuenta esse, ut aurum, argentum, &c. subiungit in medio capitis: *Sapientia autem ubi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ? nescit homo pretium eius, &c.* & cum ostendisset à nemine, neque viuorum, neque mortuorum inuentam fuisse subdidit, *Deus intelligit viam eius, &c. ut solius Dei donum esse, monstraret. Quare multa verba illius capitis, quæ supposito careat, & aliqui volunt ad Deū referri, melius ad hominem accommodantur, ut sic argumentum Iob vim habeat, nempe multa difficilia hominis industria facta, & inuenta fuisse: sapientiam tamen nequaquam, sed à solo Deo donari.*

Baruch quoque 3. cap. expressit id ipsum his verbis: *Quis ascendit in caelum, & accepit eam?* (scilicet sapientiam.) *Non est qui possit scire vias eius, neque exquirat semitas eius; sed qui sit vniversa nouit eam, & adinuenit eam prudentia sua, tradidit illam Iacob puero suo &c.* Non solum dixit, *Non est qui possit scire vias eius*; sed addidit, *Neque exquirat semitas eius*, ut demonstraret, veram sapientiam non solum industria, aut oratione humana non obtineri, sed neque inquiri, aut inuestigari posse.

Verum, ut ait Aug. lib. de bono perseuer. c. 16. huic respondens obiectioni, quem sequitur Prosper 2. de vocatione Gent. cap. 8. alias 2. non est frustra oratio nostra ex Spiritu gratiæ, quæ nos preuenit, ut oremus; quia illa oratione aliud secundum auxilium gratiæ à Deo consequi possumus, & frequenter impetramus. Quædam enim deus donat non orantibus prius, nec postulantibus, ut primam omnium gratiam, quam vocat initium fidei; quædam non nisi orantibus (intelligit ex spiritu gratiæ) concedit: inter quæ assignat perseuerantiam pro eo solum, quod est, vitam in gratia finire, non pro omnibus auxilijs, quæ per totam vitam post iustificationem conferuntur.

Eodem spectat doctrina Prosper lib. 2. de vocatione Gentium cap. 36. alias cap. ultimo qui respondens huic obiectioni Massiliensium, probat ex August. sententia non tolli sollicitudinem nostram, & orationem. Reddit vero rationem his verbis, *Cum implenda voluntas Dei ita sit preparatus effectus ut per laborem operum, per instantiam supplicationis fiant incrementa meritorum.* Ac si dicat, tametsi nostra oratione primam gratiam obtinere non valeamus, in gratia tamé accepta oratione, & solitudine crelescere possumus, & ngua merita indies habere, nouaque dona à Deo impetrare.

Hanc doctrinam duabus parabolis expressit noster Christus Matth. 13. altera thesauri absconditi in agro, quem qui inuenit homo, abiit, &

D d d vendi.

cundum gratiam ex auxilio Dei. Con. Aram. 2. 134.

Isa 65. Ad Rom. 10. 1. ad Cor. 4.

Iob cap. 28.

Baruch. 3.

135. Oratio facit ex gratia. Quid ceterat? explicatur ex Aug.

Prosper te simonio confirmatur.

136. Dns Christus parabole

explicatur
de prima &
secunda gra-
tia. Mat. 13.

vendit vniuersa, quæ habebat, vt agrum emer-
ret; quæ insinuat prima gratia, quæ est vere ab-
scondita, sicut etiam thesaurus, qui cum nō quæ-
ratur, inopinate inueniri solet: ita enim & prima
gratia inuenitur à non quærentibus, vt in Conci-
lio Arausico. canone illo 3. definitur. Quemadmo-
dum autem inuento thesauro homo prudens om-
nia sua bona vendit, vt agrum emat, & thesau-
ro potitur; sic etiam qui gratia Dei excitatur,
omni sollicitudine ei consensum præbere debet,
vt ea ditari possit. Altera parabola est hominis
quærentis iam margaritas, qui labore, & industria
eas tandem inuenit, & vendit omnia, vt vnā
sibi compararet. Hac verò denotatur nobis se-
cunda gratia, quæ iam datur orantibus, & quæ-
rētib; sed ex alia priori gratia: hac autem inuen-
ta eodem modo nos sollicitos esse oportet, vt di-
tiores indies efficiamur. Recte igitur Aug. dixit
quædam dona præparari non orantibus, alia ve-
ro non nisi orantibus donari.

Non sunt
frustra ex-
hortationes
& correptiones.

De exhortatione vero dicit Aug. ca. 13. non
esse frustra, quia licet illi non obediant, qui non
habent aures audiendi præparatas à Domino,
multi tamen audiunt, qui eas à Domino, vt au-
diant, habent dispositas: non est ergo frustra ex-
hortatio: Deus enim sæpius media ipsa exhorta-
tione aures cordis interius aperit, vt homines
audiant, & obediant. De correptione idem cen-
set; est enim eadem ratio.

137.
Nota egregia
Aug. doctrin.

Subiungit tamen cap. 15. non propterea quod
aliqui in segnitiam, & desperationem veniant, à
prædicatione veræ doctrinæ cessandum esse,
quando ex nostro silentio alij suboriuntur erro-
res: qualis est ille, quod gratia Dei secundū me-
rita nostra, & ex aliquo nostro initio prædestine-
tur. Id quod eleganter ipse prosequitur, docetq;
eadem fere incommoda vulgo contingere, cum
de præscientia Dei agitur, nempe quod frustra o-
remus, frustra corripiamur si tandem illud solum
futurum est, quod Deus præsciuit: ob id tamen
pati non debemus errorem aliquem de præscien-
tia doceri. Quomodo vero caute populus hanc
doctrinam docendus sit, cap. 22. optime declarat.
Denique cap. 17. contra Massilienses retorquet
argumentum: quia sicut ipsi exhortantur ad ca-
stilitatem, quam ex nobis esse fatentur, nihilomi-
nus negare nequeunt, illam à Deo præsciri, imo
etiam prædestinari (intelligit communi prouiden-
tia, non gratiæ) ita etiam nos exhortari pos-
sumus homines ad id, quod diuina gratia præde-
stinatum esse docemus.

Vltima Mas-
siliens. obiectio
contra Aug.
Conc. Valen.
Conc. Arus.

Postremo denique Galli notabant Augusti-
num, quod diceret, aliquos à Deo prædestinari
ad malum, nec omnes habere vnde saluari possint
quod est impium, & damnatum in Concilio Va-
lentino sub Lothario Imperatore ca. 3. & Arausi-
cano 2. cap. 25. verum hoc manifeste Massilien-
ses impouerunt Augustino, vt testatur ipse lib. ad
articulos sibi falso impositos art. 11. aut potius
Prosper, qui creditur auctor illius libri, & Fulgen-
tius lib. 1. ad Monimum cap. 30. à qua calumnia con-
tra Gallos ipsum defendit idem Prosper in libro ad
capitula Gallorum ad t. 5. & 6. dubium & quidem in
August. certissimum est nullum à Deo prædesti-
natum esse ad peccandum, sicut multi ad creden-
dum, & iuste viuendum prædestinantur. Quod
vero lib. de corrept. & grat. cap. 7. dicit Indam
electum ad opus, cui congruebat, scilicet ad effun-

Fulgent.
Prosper.
138.
August. à ca-
lumniā vin-
dicatur.

dendum sanguinem Christi, sano modo, hoc est
permisissè, debet intelligi. Secundo nūquam
Augustin. docuit homines ad penam, & suppli-
cium destinari ab æterno, nisi ex illorum culpa
præuisa, vt disp. 95. ostendimus. Tertio, an dixe-
rit, aliquos propter ingētia peccata in aliqua sue
vitæ periodo ita destituti, vt tunc careant auxilio
sufficienti, quo peccata vitata possint, apud Augu-
stine difficile est, & disput. 97. à nobis examinan-
dum. Certo tamen constat nunquam August. di-
xisse id, quod Massilienses ipsi imputarunt, vide-
liet Deum aliquos sine ipsorum culpa, auxilio,
& remedio destituisse.

CAPVT XVIII.

Testimonia quadam contra nostram sententiam
allata explicantur.

Contentundum adhuc nonnulli, testimonijs
Scripturæ & Patrum probare causam ex no-
bis nostræ prædestinationis, & gratiæ. Primum
testimonium est Math. 25. ex parabola illa homi-
nis, qui proficiscens distribuit varia talenta fami-
lis suis, non quidem absolute, sed (vt ait Chrilus)
vnicuique secundum propriam virtutem, quæ parabola
significat distributionem, quam Christus facit
gratiæ suæ, vt ea recte viuamus, & negotiemur,
sicut ergo talenta pecuniæ homo ille diuisit ha-
bens rationem virtutis, & facultatis naturalis,
quam quisque ex se habebat ad negotia, sic etiam
& Christus diuisit talia gratiæ iuxta proportio-
nem naturalis virtutis vnius cuiusq; ergo secun-
dum vsum liberi arbitrij.

Respondet S. Thom. 2. 2. quæst. 24. a. 3. ad 1. nomi-
ne virtutis propriæ intelligi propriam cuiusque
dispositionem ex auxilio gratiæ Dei proceden-
tem, iuxta quam vnicuique Deus diuisit gratiam
remissionis peccatorum, & habitalem. Et for-
san hoc modo intellexit Hieronymus illum lo-
cum, quamquam non de gratia remissionis pec-
catorum, sed de alius charismatum donis, & de
euangelica prædicatione intellexisse videtur: ver-
ba illius sunt, Vocatis Apostolis doctrinam Euangelicam
tradidit, non pro largitate & pietate alteri plus, &
alteri minus tribuens, sed pro accipientium virtutibus. In-
telligit vires, non naturales tantum, sed instrudas
etiam donis gratiæ: sic enim vni dedit maius mi-
nisterium, nempe Petro, quam aliis, Alioqui si de
gratia prædestinationis, qua quisque saluatur, lo-
quamur, licet secunda aliqua gratia deat iuxta
dispositionem recipientis, quæ ex alia gratia pro-
cessit, prima tamen omnium non datur, nec di-
tribuitur, nisi ex solo Dei beneplacito.

Verum facilius respondere possumus, si iuxta
doctrinam communem non omnia, quæ in hac
parabola facta narrantur, ad spiritualia applicen-
tur. Neque enim in parabolis singula minuatim
spiritualiter quoque intelligenda sunt; sed oportet
finem parabolæ diligenter attendere, & om-
nia, quæ illuc spectant spiritualiter explicare: nam
singula alia non possunt absque aliquo absurdo
semper spirituales sensum habere, vt ex hac ea-
dem parabola constat. Qui enim num talentum
acceperat, & eo nihil erat lucratus, dixit. Scio quia
homo durus es, metis, vbi non seminasti, & congregas,
vbi non sparsisti: ecce habes quod tuum es. Seruus ergo
ille adhuc retinuit talentum, & domino suo in-
tegrum reddit, quamuis corpore, & ocio decten-
tus, nihil lucratus fuisset, quod in talio spiri-
tualit.